

inveniant, sed potius eundem ibidem amittant, dum easdem lascivias obtutibus, cogitationibus, aliquando etiam gestibus, nutibus et actibus im-mundis profanare non dubitant, qua de re David graviter lamentabatur, dum ait, *Psal. lxxvii, 7: Incenderunt igne sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Ubi Hugo Cardinalis ita scribit: « Incenderunt igne cupidinis: in desiderio » et cogitatione polluerunt templum sanctum tuum; « in colloquio et operatione. » Deplorandus quoque est multorum gravis culpæ reatus, qui Deum in locis perdunt, ubi illum securissime invenire debuis-sent; damnantur nonnulli religiosi in claustris monasticis, nec non in choro multi Clerici Deum graviter offendunt, eo quod vocationi suæ digne non respondeant, qui alias in seculo viventes, salvandi fortasse fuissent.

**10.** — Dionysius Carthusianus aliam nobis rationem assignat, cur incarnata Sapientia in tem-plo inveniri voluerit: « Ut pueris, imo et cunctis » exemplum persistendi in templo, et in cultu, et « opere Dei præberet, ut zelum suum circa divina » et Patris honorem, a peritiam declararet; ut « amore spiritualis profectus, in sapientia, scientia, » atque virtutibus carnales parentes ostenderet « relinquendos. »

#### Sedentem in medio.

**11.** — « Per hoc quod dicitur, *in medio,* » inquit Hugo Cardinalis, « notatur, quod medium » eligat Deus, quia ibi securitas, in extremitatibus « periculum: infans nascens in medio duorum » animalium reponitur; puer adolescens in medio « Doctorum reperitur; juvenis moriens in medio » duorum suspenditur; immortalis resurgens in « medio discipulorum pacem offert, et justo in » medio Ecclesie sapientia datur; *in medio Ecclesie » aperuit os ejus et implevit eum Dominus spiritu » sapientie et intellectus.* »

**12.** — Euthymius doctores admonet, ut in eru-diendis aliis valde sint circumspici, curentque ut divinum hunc magistrum in medio cordis sui habeant: « Timeamus qui præceptores sumus, » quoniam in medio nostrum est Christus, attendens « quo pacto doceamus. »

**13.** — Porro scientia motivum esse solet super-bie: *Scientia inflat, charitas autem ædificat, I Cor., viii, 1,* et ideo Christus in medio Doctorum reperi-tur, non tamen ubicunque, sed in templo congrega-torum, quod domus est orationis, ad insinuandum nobis, quod vera sapientia et scientia, a ferventi oratione, charitate et amore divino, virtuteque christiana disjungi nequaquam debeat; siquidem *in medio consistit virtus: non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Rom., xii, 3.*

#### Doctorem.

**14.** — Salvator noster docere nos voluit, juvenes in hac ætate docendos et erudiendos esse, maxime in litteris et doctrina christiana: « Bene ratione » istius facti, » inquit Jansenius, « quadrat in Chris-tum illud Psalmi: *Super omnes docentes me intel- » lexi, quia testimonia tua meditatio mea est; super » senes intellexi, quia mandata tua quævisi.* »

**15.** — S. Bonaventura, *Ser. v, in hac Dom.,* ait: Inter Doctores Christus quærendus est, quia in « doctrinis et scripturis invenitur. » Advertendum est autem, ad quod paulo ante idem Doctor sese reflexerat, nimirum quod inventus fuerit Jerosoly-mis, in templo et in medio Doctorum, « id est, in » contemplatione, in oratione, in predicatione » invenitur. »

#### Audientem illos.

**16.** — Salmeron materias inter Doctores tunc agitas magni momenti fuisse existimat: « Nempè (ut mihi pium est credere) de Messia, » ejus conditione et natura, atque ejusdem ad-ventu, quem magnis rationibus scripturarumque « testimoniis imminere jam, atque instare aperte » probabat. »

**17.** — Albertus Magnus Christi in hac occasione humilitatem admiratur, atque modestiam; nostram vero superbiam et elationem e contra graviter reprehendit: « Si igitur ille, qui erat fons sapien- » tiæ et qui omnia sciebat, Doctores audivit et » interrogavit; multo convenientius nos, qui homi- » nes illiterati sumus, verbum Dei audire debe- » mus: propter nostram quippe doctrinam con- » scripta est pagina sacre Scripturæ. » Jansenius considerat, quod licet juvenes in hac ætate, quando apud illos ratio ætatis præcærit annos, audaces esse communitè soleant et temerari, nihilominus tamen Filii Dei: « Quamquam unus esset omnium » magister, nec cum fastu et proccacitate (que vitia » solent adesse pueris precocis ingenii) jaclabat » eam qua plenus erat, sapientiam, sed velut dis- » cendi cupidus inter eos sedebat, audiens eos et » interrogans, non quod necessitas illi esset sciscitar-i ab hominibus, quod disceret, sed quo omni- » bus junioribus exemplum modestiæ et disciplinæ » præberet. *Audi tacens et pro reverentia veniet tibi » gratia bona, dicit Eccl., xxxii, 9.* »

**18.** — S. Bonaventura, *in Luc.,* per hoc exem-plum nobis insinuat, quod prius discipuli, ac postea magistri esse debeamus: « In hoc spiritualiter est » intelligendum, quod Christus docet nos, quod » ante debemus discere, quam docere, secundum » illud: *Antequam loqueris, discet:* et ideo voluit in » medio Doctorum inveniri et in templo, quia in » scripturarum lectione et in oratione veritas inve-nitur. »

#### Et interrogantem eos.

**19.** — Non dicit *docentem*, sed *audientem eos et interrogantem*, inquit Salmeron, « quamquam ipse » sit qui docet homines scientiam. »

**20.** — « Vigilanti consideratione pensandum » est, » inquit S. Gregorius, « quod cum Jesus » duodecim annorum dicitur in medio Doctorum » sedens, non docens, sed interrogans invenitur; » quo exemplo ostenditur, ne infirmus docere quis » audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, » qui per Divinitatis potentiam, verbum scientiæ » ipsis suis Doctoribus ministravit. » Origenes quoque hoc idem monitum tangit, dum Christum licet sapientia esset Patris æterni, quamdiu tamen puer fuit seu juvenis in medio Doctorum positum eos audisse et interrogasse: « Ut nos doceret, quod » pueri, quamvis sapientes et eruditi sint, convenire » ut audiant potius magistros quam docere desi- » derent et se vana ostentatione jactent. »

**21.** — Verumtamen Lucas Brugensis optime interrogationem ad instar alicujus doctioris et ins-tructionis fuisse notat, dum ait: « Quasi discere et » intelligere gestiens quæ docerent, revera autem ut » ipsos doceret. » Idem quoque Toletus censet, dum ait: « Nam interrogatio etsi discentis esse » videatur, aliquando docentis et sapienter » interrogare est instruere. » Cujus Origenes a Glossa citatus efficacem rationem reddit dicens: « Ex uno quippe doctrinæ fonte manat et interro-gare et responderi sapienter. »

#### Additiones.

**a.** — *Et factum est post triduum, invenerunt illum in templo sedentem.* Certum est, quod Christus Domi-nus miraculose se potuerit sustentare, ita ut nullo indigeret cibo; cum tamen ex divina Provi-dentia habeamus, ubi humana adesse potest industria, ordinariæ ad miraculum recurrendum non esse, ideo hic quæri potest, quomodo Christus Dominus se hoc triduo sustentaverit. Responderunt communitè Sancti Patres quod Christus Dominus in hoc triduo ostium mendicaverit et ad paupe-rum hospitia se receperit. Unde S. Bernardus, *Hom. infra octav. Epiph.,* ore mellito cum puero loquens ait: « Domine Jesu, quis te cibavit in illo » triduo? Quid dicam, Deus meus? Ut te per om- » nia nostre conformares paupertati et in te » humane nature calamitates reciperes, quasi » unus e turba pauperum, stipem per omnia » mendicabas. » Unde quanti adhuc pretii apud Deum sit eleemosyna, facile colligendum. Dominus noster Jesus Christus, in persona propria se pro-les-tatur eleemosynam recipere, seque debitorem constituit, ob subsidium præstitum pauperi, eleemo-synam amore Dei a nobis petenti. Dicit enim, *Matth., xxv, 40: Amen dico vobis, quamdiu fecistis*

*uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Nul-lus unquam adeo crudelis reperietur, qui si Deum ipsummet, qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione, ut legitur in *Psalmo cxlvii,* famelicum videret, panem illi, et quidquid ad ejus alimentum necessarium foret, non libenter tribue-ret; nimis enim nobis interest. Juxta fidem vero, ipse Dei Filius in paupere eleemosynam querit. Cui veritati ut infallibilem fidem adhiberemus, juramento ipsam stabilire non dubitavit, inquit: « *Amen dico vobis, etc.* » Quid poterit magis nobis » Christus edicere? » ait S. Cyprianus. « Quando » potuit magis misericordie nostræ opera provo-care, quando quod præstari ibi sibi dixit, quod » egenti præstatur? » Ingeniosam equidem in præsens Evangelium, observationem format S. Chrysologus, cum docet Christum non asserere fame, siti aut nuditate laborasse pauperem, sed semetipsum famelicum fuisse, et frigore tremulum, *esurivi, etc.* « Sed quomodo aut in se transfunderit » pauperem, aut se in pauperem fuderit, dicat ipse » jam nobis: *Esurivi, inquit, et dedisti mihi mandu-care.* Non dixit: *Esurivi pauper, et dedisti illi » manducare, sed esurivi ego, et dedisti mihi man-ducare.* Sibi datum clamat, quod pauper accepe-rit; se manducare dicit quod comederit pauper; » quod bibit pauper, sibi testatur infusum. O quid » agit amor pauperis! gloriaris in celo Deus, unde » pauper erubescit in terra. » S. Augustinus in com-mentario Psalmi lxxv, 12: *Reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu ejus offeritis munera,* postquam Judicis supremi in extremo judicio pro-estationem: *Esurivi et dedisti mihi manducare,* memorasset, tandem concludit: « *Esurire in pau-peribus voluit, qui dives in celo est; et tu dubitas » homo dare homini, cum scias te Christo dare, » quod das, a quo accepisti quidquid das? » Quam veritatem Veteris Testamenti cullores pariter intellexere ante legem Evangelicam, dicente Sapi-ente, *Prov., xiv, 31: Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus.* Et alio in loco, *Prov., xvii, 5: Qui despiciit pauperem, exprobrat factori ejus.* Ita S. Patriarcha, primus credentium pater, in tribus illis hospitibus sub quercu Mambre, tres divinas excepit Personas, in tribus quodammodo facturis, ipsum venerans, excipiensque factorem.*

Quum autem ipsemet Deus in persona pauperis eleemosynam accipiat innumeris et infiniti pretii fructus eleemosyna offert. Considerari potest sicut species quedam sanctæ et lucrosæ usuræ, quæ substantiam multiplicat, familiasque felicitat. Li-berat nos a peccatis, placat Dei furorem. Eleemo-synarius non habet quod timeat, aut in agone, aut in judicio, tam particulari quam universali; paupe-ribus enim quisquis subvenit ingens salutis æternæ pignus sibi acquirit. Eleemosynæ a Deo nobis impetrant quidquid petimus, multa adversa a nobis



arcent, ab inimicis visibilibus et invisibilibus nos defendunt. Et quia Deus affectum potius nostrum quam effectum meritum, quilibet quantumvis etiam pauper, elemosynam dare potest. Deus acceptat quod pro conditione nostra dare possumus.

**b.** — Sane decebat puerum interrogare Legis doctores, non eos docere; sed tamen Christus ejusmodi interrogatione modestiam docet. An simul et sapientiam? Audiendus est Origenes sic fatus: « Ex uno doctrinae fonte manat, interrogare et « respondere sapienter; et ejusdem scientiae est « scire quid interrogas quidve respondeas. » Explicatus S. Hieronymus, *Epist.* cii, Paulino, 3, humilitati interrogationis nuncupatim adscribit hoc praecelsum interrogandi magisterium, dicens: « Duo « decim annos Salvator impleverat, et in templo « prudenter interrogans docet senes, de questionibus legis interrogans. Magis docet dum prudenter « interrogat. » Nullum igitur dubium est quin sapiens interrogatio de participatio humilitatis, arcanum quoddam magisterii genus sit. E contra, superba dictio, species demetiae.

## VERSUS 47.

*Stupebant autem omnes qui eum audierunt super prudentia et responsis ejus; et videntes admirati sunt.*

**1.** — Beda, in *Luc.*, dicit: « Quasi homo seniores « interrogat, quasi Deus, quae seniores et docti mirantur, respondit. »

**2.** — Toletus Christum in hac tenera aetate inter Doctores sedentem, atque in cunctis admirationem et stuporem excitantem duos praecipue fines intendisse dicit, quorum primus erat: « Excitare Doctores et sapientes ad cogitandum et quid inquitur de Christi adventu. » Secundus erat, « ne ejus futura manifestatio inopinata et repentina « nimis videretur. »

**3.** — Enimvero valde considerabilis est affectus, quem in his Doctoribus, qui alias, prout ex multis Evangelistarum reprehensionibus constat, superbi et elati erant, operata fuit admirabilis Christi sapientia et doctrina, videlicet stupor et admiratio, qua in re insigni nobis documento, ut Salmeron notavit, preluxit, nimirum quod quando nobis agendum incumbit cum personis, nobis in dignitate superioribus, « quos revereri, quibus parere nos « oporteat, nimirum, ut tametsi eruditione et « scientia simus illis superiores, ea utamur tamen « dexteritate, ut eos quidem admoneamus veritatis « rerum, de quibus agitur, sed rationem interea « dignitatis eorum, modestis atque prudentibus « verbis proponendo potius et interrogando, quam « docendo, habeamus. »

**4.** — Hodie vere adimpletum fuit, quod tot retro saeculis de hujus veri Salomonis sapientia

prophetizatum fuit: *Habebo honorem apud seniores juvenis, et acutus inveniar in iudicio, et in conspectu potentium admirabilis ero. Sap., viii, 10.* Beda ex una parte annos pueri Jesu duodennis, ex altera vero divinam ejus sapientiam et eloquentiam exactissime ponderans dicit: « Divina lingua sapientiam « prodebat, sed infirmitatem aetas precludebat « humanam; unde Judaei inter alta quae audiant, « et infirmam quae vident, dubia admiratione turbantur. »

**5.** — Toletus differentiam considerat, quae inter admirationem et stuporem Doctorum et admirationem Mariae et Joseph intercedit; etenim illi in puero sapientiam admirantur aetate longe superiorem, at tamen illum conditionem humanam excedere minime arbitrantur; at vero hi ipsum Filium Dei esse scientes, ex alio motivo admirationem de eo conceperunt, nimirum: « Quia praeter eorum « opinionem et Christi consuetudinem inter Doctores disputantem viderunt; indeque noverunt « non remansisse, quia aberrare voluit, sicut caeteri « pueri aberrant, sed consilio et proposito. »

## Additio.

**a.** — *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus.* Omnes qui aderant videntes sublimitatem rationum Christi quibus eos convincebat, illud esse tempus adventus Messiae, de quo tunc erat sermo admirabantur, sed non convertentur. Placebat auditui sermo divinus, quem pro salute animarum suarum non applicabant, de ea parum solliciti. Sic etiam de eo quod ad corpus spectat, semper solliciti sumus, anima vero in comparatione ejus, parvi aestimatur.

## VERSUS 48.

*Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.*

*Et dixit mater ejus ad illum.*

**1.** — Sacri expositores unanimiter in eo consentiunt, quod scilicet verba illa non reprehensionis alicujus, sed potius terribili amoris expressiva fuerint: « Neque enim dure illi loqui potuit, inquit Jansenius, « quem tam unice amabat, quem « que, quod Filium Dei esse ex Angelo didicerat, « reverebatur. » Idipsum quoque Cajetanus his verbis dicit: « Non arguit, sed propriam nescientiam « propriae vocem deprimi, nec querit causam cur « fecerit, cur intulerit eis dolorem? sed affectum « manifestat. »

## Fili.

**2.** — « Primum verbum, quod ab ore emisit, » inquit Didacus Stella, « signum fuit illius summi « amoris; nam dixit, *Fili*, quod verbum in Graeco

« idem est quod amor; quo verbo non virgo con- « queritur, sed interrogat, si autem querela fuit, ex « materni visceribus et amore exiit. » Simon de Cassia, lib. II, cap. xxv, argute ipsam in aliis occasionibus hoc Filii nomine et appellatione minime usam fuisse, considerat, dum ait: « Ad magnum « mysterium res ipsa deducitur, quod reinventus « Christus a Matre Virgine Filius appellatur, ut sit « spes nostra solidior, quod velut piam matrem « impossibile sit a pio Filio derelinqui. »

**3.** — Lucas Brugensis dicit, quod « blandiori « nomine nequeat compellere mater amore languens. » Salmeron dolorem Virginis (si tamen is talis dici meretur) hisce verbis describit: « Haec « est sancta quaedam et tacita querela, ex excellenti « quodam et peculiari matris amore et fiducia; « divinitus collata proveniens. »

**4.** — Nimirum benignissima haec Christi Mater docere nos voluit, cum charitate potius et amore alloquendos et monendos, quam cum austeritate et rigorosis reprehensionibus reprehendendos esse, maxime dum non est tanta austeritatis adhibenda necessitas.

## Quid fecisti?

**5.** — « Interrogatio est, » inquit Lucas Brugensis, « non reprehensionis, accusationis, aut querimoniae, sed admirationis. »

**6.** — Albertus Magnus parentes pueri hisce verbis causam ab illo explorare voluisse existimat cur scilicet ab illis se sequestrasset, nec tamen eos propositi sui vel minimum certiores fecisset. « Aperi « causam, ut non sint vacua sapientiae tuae opera, « hoc est, absque causa facta, non enim sine magna « causa fecisti. »

## Nobis.

**7.** — Observa Beatam Virginem non dixisse *mater*, quia individua S. Josephi conjux, affectus illius proprios esse reputabat, id quod ad veram quamdam et perfectam charitatem proprie spectat, quia *Charitas non querit quae sua sunt.*

## Sic.

**8.** — Dicitio haec affectus in gradu quodam eminenti positi expressiva est, sic enim S. Joannes declarare volens, quantum nos, Filium suum pro salute mundi dando, aeternus Pater dilexerit, eadem dictione utitur et ait: *Sic Deus dilexit mundum.* Idem quoque anxietatem Christi, qua errandam Samariae oviculum ad ovile suum reducere satagebat, in summo gradu exprimere volens ita scribit: *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem*: eodem quoque modo beatissima Virgo, quae *sedes sapientiae* appellatur, excessivum dolorem, quem in Filii sui amissione pensenserat, exprimere volens, utitur hac

dictione, *sic*, quasi gradus ille doloris fuerit quasi quoddam non plus ultra illius affectus.

*Ecce pater tuus et ego.*

**9.** — Porro tametsi divinus puer Jesus S. Josephum loco patris veneraretur, ipse tamen quoad hanc amissionem vel minimum lamentari ausus non fuit, unde Lyranus inquit: « Non fuit ausus illum « arguere, cum firmiter crederet ipsum esse Dei « Filium, sed mater ex maxima dilectione, quam « habebat ad illum, hoc fecit, quia amor excellens « dominium nescit. »

## Dolentes.

**10.** — « Quoniam non sine magno dolore amittitur, » inquit S. Bonaventura, *Serm. i in hac Dom.*, « quod cum magno amore possidetur, hinc est, « quod Beata Virgo de amissione corporalis praesentiae dilecti ac unici Filii sui, quem tonerrime ac « super omnia diligebat, multiplicis doloris affectu « in anima colaphizabatur. » Salmeron, *tr. xvi*, haec doloris ipsorum assignat motiva: « Ex privatione « consolationis tam dulcis pueri; ex commiseratione « ne puer delicatulus illo triduo aliquod pateretur « incommodi; ad haec ex timore negligentiae pro- « prie in custodiendo tali deposito; bonarum enim « mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non « est. » Mater junioris Tobiae *Rebat irremediabilibus lachrymis*, non amissionem filii, sed reditus ejusdem dilationem: *Heu, heu, fili mi, hunc oculorum nostrorum.* « Omnia in figura contingebat illis. » Beatissima Virgo afflictabatur quia tametsi obsequium ab ipsa Filio suo praestitum gratum eidem plus esse sciret, quam omnia spiritalia caelestium obsequia. « Nihilominus tamen ipsa anceps, » inquit Didacus Stella, « et dubia manet, non intelligens « an forte aliquid fecisset, quod Christi oculis « displiceret: tu vero qui quotidie in mille defectus et peccata incidis, letus vivis, existimas tuis « factis Deum amicum et propitium habere. »

**11.** — S. Bernardinus, *Hom. in hac Dom.*, hanc Mariae tristitiam interessatam aliquantulum fuisse notat; dicit enim: « Quem dolebas? credo non famem, non sitim, non invidiam timebas puerum, quem « Deum noveras, sed tantum substractas vel ad modicum ineffabiles praesentiae ejus delicias conquerebaris. »

**12.** — Origenes de Magdalena scribens, de qua S. Joannes ait: *Stabat ad monumentum foris plorans; cum ergo fletet, inclinavit se, et prospexit in monumentum, dicit*: « Disce a Maria querere Jesum, « omnem revolve lapidem ab ostio monumenti Dei, « tolle omnem concupiscentiam tuam a corde tuo, « et diligenter perscrutare si sit Jesus in eo; si « autem non invenieris in eo Jesum, ito foris et plora, « plorando ora Jesum, ut dignetur intrare ad te. »

**13.** — Enimvero divinus hic puer in Nazareth



conceptus fuit : Nazareus vocabitur, quod idem significat ac *floridus*, ac proinde in sacris Canticis de semetipso dicit : *Ego flos campi*. Sciendum autem hic est, quod anima in eodem Canticorum libro II, 1, ad hunc florem inquirendam perhumaniter invitetur hisce verbis : *Surge, propra amica mea, et veni : flores apparuerunt in terra nostra*; subito autem sacer textus subjungit : *Vox turturis audita est*; id quod bene hoc loco observandum est, utpote presenti proposito nostro multum deserviens; quotiescumque enim turtur gemit, id est, quando devota aliqua anima ex amore Dei tristatur et plangit, tunc Christus secure invenitur. Unde Petrus Cellensis, *De pen.*, XIV, ait : « Dolentis lachryma Filium Dei amissum ad nos inclinat. » S. Ambrosius, *Lib. II de pen.*, VIII, super illa regii Prophetae verba : *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, scribens ait : « Querit lavans per singulas noctes lectum, ideo meruit David, ut ex ejus familia virgo eligeretur, quae nobis partu proprio Christum ederet. » Messias promissus quidem, sed tot saeculis profundis suspiriis desideratus, per Davidis planctum fuit inventus, siquidem dignus a Deo aestimatus fuit, ut, ex ejus progenie, dolens haec Mater descenderet, quae pro salute nostra hunc nobis Filium mundi Salvatorem ederet.

#### Quaerebamus te.

14. — « Potissimum nobis docetur, » inquit Didacus Stella, « quam gravis dolor et jactura sit, Deum amittere, dolentes ait, et non immerito, quia, quanto aliqua res amissa charior est, tanto majori dolore quaeritur. » Laban non tam ideo super Jacob lamentabatur, quod ab eo clam recessisset quam quod Deos ipsius ei sustulisset; Michas ob eandem quoque causam lamentabatur, dicens : *Deos meos, quos mihi feci, tulistis, et Sacerdotem, et omnia quae habeo, et dicitis mihi : quid tibi est? Judic.*, XVIII, 24. Deploranda profecto erat illius miseria, qui se omne malum ab eo sublatum fuerat, falsa nimirum Deorum simulacra; at vero longe lachrymabilior est illorum miseria, qui dum omne bonum, id est, Deum, « Deus meus et omnia, » amiserunt, etiannum ridet, nec illud denuo reinvenire satagunt. Unde S. Augustinus, *Ser. XIII de SS.*, ait : « An non in te sunt viscera Christianae miserationis, » ut plangas corpus, a quo discessit anima, et non « plangas animam, a qua recessit Deus? » Ploratur ob amici cujusdam mortem, seu propter cujusvis alterius rei terrenae jacturam, et quando Deus in aliqua delectatione sensuali, vel in dissolutione alia quacumque infelicissima amittitur, ridetur et plauditur. S. Bonaventura, *In hoc Dom.*, *Ser. V*, circa locum illum Isaiae, IV, *Quaerite Dominum, dum inveneri potest*, ita scribit : « Idem Propheta quasi ostendens, quomodo quaerendus sit, adjungit : *Derelinquat impius viam suam*; bene autem dicit, *dum inveniri potest*. » Quod si quis in aestate frigus, vel in

hyeme calorem, aut nocturno tempore radios solares quaerere, difficulter admodum illorum aliquid invenire posset, quia ad hoc ut aliquid inveniat, tempore congruo et opportuno inquirendum est. Idem vero S. Doctor tandem quale hoc tempus opportunum sit, determinat et dicit, tempus illud aliud non esse, quam praesens triduum : « Invenitur autem post triduum contritionis, confessionis et satisfactionis. » Idem quoque Sanctus ait : « Quae rite illum per continuationem devota orationis, in simplicitate cordis per puritatem intentionis et innocentiam operis, ut nulla sit duplicitas interior; nulla falsitas exterior. » Citatque Jeremiam, *XXIX, 13, 14*, ubi Deus ita loquitur : *Cum quaesieritis me ex toto corde vestro, inveniam a vobis dicit Dominus*. Ubi Seraphicus Doctor ait : « Unde B. Virgo quaesivit in toto corde, non dimidiando eum ad terrenam. » Etenim qui Deum vult invenire, cor et affectum suum ad alias res terrenas nequaquam inclinet, quia solus esse vult in corde nostro. Unde S. Bonaventura, *Ser. V*, dicit : « Non in uno angulo cordis sicut illi, qui in una parte cordis diabolum, in alia Dominum quaerunt; in toto corde quaerendus est. » *Psal. CXVIII : In toto corde meo exquisivi te*.

15. — Idem quoque S. Bernardum adducit, dicentem : « Quomodo te invenero in gaudio, cum Mater dua dolens vix te inveniret? » In cujus confirmationem Didacus Stella ita meditat : « Christus in festis et gaudiis hujus mundi amittitur, dolore autem et angustia cordis invenitur. » Ne obsecro, Deum inquiras inter oblectamenta : « Moyses in rubo reperit. Cum quaesieris Dominum Deum tuum invenies eum, si tamen toto corde quaesieris et tota tribulatione animae tuae. » Unde Psalmista ait : *Cum occideret eos, quaerebant eum et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum. Psal. LXXVII, 34*.

#### Additiones.

a. — *Et dixit Mater ejus ad illum : Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te*. Facile consideratu est, quanteopere dilexerit Filium suum Jesum Maria, et ipse Joseph, eo quod per se, summe amabilis esset puer; ex cujus absentia tantum conceperunt tristitiam, quantum ex praesentia laetitiam. Hoc ergo merito mirandum venit, quod cum non ignoraret Jesus, extraordinariam hanc parentibus suis, ex sua absentia suboriturum tristitiam et dolorem, nihilominus sese subduxerit in comitata? Jacob patriarcha perdidit quoque filium sibi unice dilectum Joseph, et a bestia devoratum, quem credidit, venditum Ismaelitis in Aegypto a fratribus suis, ex sua absentia suboriturum tristitiam et dolorem, nihilominus sese subduxerit in comitata? Jacob patriarcha perdidit quoque filium sibi unice dilectum Joseph, et a bestia devoratum, quem credidit, venditum Ismaelitis in Aegypto a fratribus suis, ex sua absentia suboriturum tristitiam et dolorem, nihilominus sese subduxerit in comitata? Jacob patriarcha perdidit quoque filium sibi unice dilectum Joseph, cum patrem de se perditum nimirum affligi facile conjecturari poterat, consolatorium ad eundem verbum,

quod mittere debebat, intermisit. Quae causa? Dispensatio divina id factum credidit S. Augustinus, in expiationem scilicet venialium Jacob excessuum. An forte ob similem causam sese absentat a parentibus Jesus? Absit. Neque enim venialis labes unquam tetigit Mariam. Sed qui sciebat se supra modum a parentibus diligi, amoris vices eisdem pendere voluit dum eos ex sua absentia tritari permisit. Certum enim divini amoris pignus habemus, cum tribulationes patimur.

Ille Pater, quem quotidie invocamus, dicentes : *Pater noster, qui es in caelis*, in Apocalypsi, III, 19, nobis manifestat et revelat cogitationes, tribulationesque hujus miserae vitae esse signum amoris et emendationis : *Ego quos amo, arguo et castigo*. S. Ambrosius, in Lucam, IV, scribit : « Multae tribulationes, non quorumcumque, sed justorum. Denique quos diligit Dominus, saepe castigat. » Paterfamilias filios, qui correctione indigent, percutit et corripit; non curat famulos, malis esto sint imbuti moribus, quia non amat illos affectu paterno. Sed solum tollit quod suum est, nempe fidelitatem et expeditionem servitii : « Justum ideo flagellat Deus, » ait Petrus Blesensis, *Epis. CXXXVIII*, « et tam prospera quam adversa circa eum paterna moderatione dispensat, ut homo se cognoscat, ut suos excessus corrigat, ut alios suo exemplo deterreat, ut virtus hominis innotescat, ut vexatio det intellectum ad cautelam, cautela vero ad gloriam et coronam cedat. »

S. Paulus scribens Thessalonicensibus, I, 6, laudat eorum profectum quem ex sua Evangelica praedicatione hauserant; ac propterea, quia paulo ante dixerat : « *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa*; et paulo post : *Et vos imitatores nostri facti estis et Domini*; declarat deinde, in quo consistat haec imitatio, ac plenitudo spiritus et virtutis dicens : *Excipientes verbum in tribulatione multa*. Ecce tribulationem nobis proponit tanquam secundam bonarum virtutum matrem.

Ac primo quidem est generativa humilitatis. « Non a vales quis humano explicare eloquio, » dicit B. Laurentius Justinianus, *Hom. XXVI de humilitate*, « quante sit utilitatis, quanti meriti, et quam sit Deo gratum, non alium sapere, tribulationes irruentes perferre fortiter, illatas contumelias tranquilla mente pati, et humiliter emergentia quaeque adversa propriis peccatis adscribere. » Nam humilis semper arbitratur superiora mereri quam pati. » S. Chrysostomus, *Ser. XV, in cap. IV, ad Philip.*, scribit : « *Erumna et tribulatio vinculum quoddam fortissimum est charitatis, accrescit compunctionis, et pietatis occasio. Audi enim dicentem David : Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* »

Tribulatio quoque peccatorum frenum est. « Re-

« missio somnum animae infundit, » ait D. Chrysostomus, *Hom. XI, de Penitentia*, « multum hiatum et teporem; undique vitia suscitant, invidiam, volubiles. Sed in persecutione nihil horum vexare solet, quia timor impressus tanquam flagellum quoddam latrantem canem acriter percutiens, has omnes pestes, nec clamare quidem permittit. » Experientia demonstrat quod, quando Deus flagellat et visitat populum, aliquo infortunio, puta, aut peste, aut bello, aut terrae motu, aut similibus tribulationibus, omnes subito recurrant ad penitentiam, et pravae mores corrigant. Aliud tribulationibus emolumentum est, quod nos extimulat ferventioresque efficiat in servitio Dei. Pro cujus veritatis elucidatione, S. Bernardus, ex Actis Apostolorum, adducit historiam de Angelo qui latus Petri percussit in carcere, ut eum a somno excitaret : « *Percussioque lateris Petri, excitavit eum cum dicens : Surge velociter*. Sic moraliter percussit justus laboribus, et erumnis, ut abiciat vineula negligentiae, et relinquat carcerem pigritiae et torporis. »

Alia adhuc ex tribulatione profluit utilitas, cujus mentionem facit Genesius, his verbis : « *Tribulatio lempus perditum redimit*. » Videbatur tempus praeteritum quod est irrevocabile, nunquam posse redimi, et quamvis S. Paulus nobis consulat, ut illud redimamus : *Redimentes tempus*, non tamen modum docet redimendi illud. At hic nobis insinuat modus quo id praestare possimus, nempe patienti animo sufferendo tribulationes. Eodem in loco insuper legitur : « *Tribulatio extinguit peccata et docet agnoscere Dei secreta*. Creatura si est in tribulatione, Deus in ea est, quia portat suum onus. »

b. — Cum beatissima Virgo ancillam Domini se profiteatur, haec verba : *Fili, quid fecisti nobis sic?* per modum increpantis dicta non fuerunt, ut arbitratur D. Bonaventura; sed vel sunt prolata per modum admirationis interrogantis, ut vult Teletus, *Annot. 67*, vel per modum amorosae quaesela; et ut ait Cajetanus hic : « In praesenti Virgo non arguit, sed quaerelam nescientiae propriae, voce depromit. Nec querit causam cur fecerit, cur intulerit dolorem, sed affectum manifestat. » Palchra certe doctrina de modo quo parentes filios delinquentes coercere debent. Nimis enim parentum rigor, nimiaque eorumdem benignitas in filios, per quam illis gravia damna conciliat.

Puerilis etas lubrica est et proclivis ad quodvis vitium. Salomon dicit, *Prov., XXI, 15* : *Stultitia colligata est in corde pueri*. Ad hanc vero ignorantiam et stultitiam a juvenili corde profligandam, optimum remedium est disciplina et inordinatae educationis rigor, cui pater operam dare debet. Ideo Ecclesiasticus, V, 2, primo quaerit : *Fili tibi sunt?* moxque respondet : *Erudi illos et curva illos a pueritia illorum*. Id est, ut Hugo Card. ait :



« Cura vel curva, verberibus vel verbis. » Vapulandi enim sunt quando parentes expediens esse iudicaverint, non solum reprehensionibus, sed etiam feralis et vergis. Aurum quidem pretiosum est et pulchrum, quando elaboratur, non vero quando intra terræ venas, luto et faecibus involvitur. Ut pretiosum fiat, igne purgatur, martellis conculitur et ad perfectionem reducit.

Sacer quidam interpres (Cornelius a Lapide) in citati Ecclesiastici textus explanatione, hanc, verbum inter *eruditi* et *curva*, statuit distinctionem: « *Vox erudi* spectat proprie ad intelligentiam; vox *curva* ad affectum. Uterque enim dirigendus est et confirmandus in pueris et juvenibus, ne vel indociles maneant, vel inflexibiles. Pueris enim ingenta est in intellectu ignorantia; hæc tunc lenda est eruditione; in affectu superbia et concupiscentia: hæc curvanda et castiganda sunt mortificatione. » Parentes quoque Salomon, *Prov.*, xxiii, 23, in hæc verba monet: *Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga non morietur: tu virga percutes eum et animam ejus de inferno liberabis.*

S. Augustinus monitum quoddam reliquit magni ponderis et consolationis etiam ipsis filiis, quando a parentibus severe gebantur. Dicit enim, *super Psalmum* cii: « Jam sæviat quantum vult: Pater est. Sed flagellavit nos et afflixit nos, et conrivit nos? Pater est: Fili, si ploras, sub patre ploras. Quod pateris, unde plangis, medicina est, non poena; castigatio est, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate. Noli attendere quam penam habeas in flagello, sed quem locum in testamento. » S. Bernardus negligentiam parentum in reprehendis et castigandis filiis unicam ruinæ nostræ causam esse dicit: « Quia aliqui non curant instruere et corrigere filios delinquentes, dimittunt eos voluntati suæ, sicut, *Proverb.*, xxxi, 15, dicitur: *Sicut puer qui dimittitur voluntati suæ, confundet matrem suam, quia ex tali impia libertate, pueri inordinatos sequuntur impetus voluntatis.*

c. — Audiendum tamen est quod S. Paulus Colossensibus, iii, 21, scripsit: *Parentes, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non punito animo fiant.* Idem B. Apostolus, in Epistola ad Ephesios, vi, 4, isidem inculcat verbis: *Vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.*

Salmeron optime declarat, quando parentes filios ad iram et indignationem provocare soleant, dicit enim: « Est autem provocare ad iracundiam, quando cum eis non agis ea qua decet moderatione; vel cum se eis duros, vel inexorabiles præstant, aut cum servorum officia eis imperant, aut gravius quam par sit, puniunt; et inde abalienationem, et iræ vindictam, et odium concipiunt contra parentes. » S. Bernardinus textum

« illum adducens Proverbiorum: *Qui parci virga, odit filium suam*, subjungit: « Et ne credant, quod semper flagello utendum sit, aperte subjungit, dicens: *Qui autem diligit illum, instanter erudit; nec ait, instanter flagellat et percussit, eo quod plus sunt filii erudiendi quam verberibus flagellandi. »* Quis unquam filiorum severius castigari promeruit, quam filius ille prodigus, contumax et rebellis, qui totum suum patrimonium cum metricibus dilapidaverat? Et tamen Chrysologus, *Serm.* iii, super illa verba: *Cecidit super callum ejus*, inquit: « Sic pater judicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella. Delicta non videt vis amoris, et ideo pater peccata filii redemit osculo, clausit amplexu. » Non mirando illum recipit sed cum canticis et symphonis. Si enim pater ipsum desperationi proximum vultu severo a se rejecisset, si rigore adversus illum usus fuisset, utique nunquam illum lucratus fuisset.

d. — Hæc verba: *Fili, quid fecisti nobis sic?* per modum increpantis non dicta fuere, sed per modum affectuosæ quærelæ, ut vult Dionysius Carthusianus. « Non est », inquit, « increpatio sed pia et amorosa conquestio, seu avida inquisitio. » Amor enim Dei admodum est operativus, Deumque super omnia desiderat, cogitat et querit. Vulgatum est illud sancti cujusdam Patris dictum: « Probatio dilectionis exhibitio est operis. » S. Paulus, *I Cor.*, xii, 2, ait: *Charitas patiens est, benigna est, charitas non emulatur, non agit perperam, etc.*

Observandum est Sponso, *Cant.*, viii, 6, minime sufficisse, quod Sponsæ, quæ animam a Deo electam significat, præcepisset ut ipsum sigilli instar cordi suo imprimeret, quin etiam brachio ejusdem imprimi voluerit: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, ut per hoc nobis insinaret, ut non diligamus verbo neque lingua, sed opere, ut ait S. Joannes, *I Ep.*, iii, 18.

Celebre est illud Origenis de S. Maria Magdalena corpus Christi rapere satagente elogium: *Si tu sustulisti eum*, inquit præfata ardentissime amans pater, dicitur *michi ubi posuisti, et ego eum tollam*. Querit igitur præfatus Origenes: « Quid si corpus dilecti tui in atrium Pontificis, in quo Petrus timore consternatus Magistrum suum negavit, depositum esset, tunc illud ingredi velles? Aut vero si ab armata militum custodia servaretur, tunc per medios illorum enses et lanceas penetrare auderes? O ineffabilis hujus mulieris amor! » Nullum locum excipit, nullum anteponeit: quia qui vere amat neutiquam timet. *Perfecta charitas foras mittit timorem*; aliud quam pro objecto amoris pati et affligi non desiderat.

Sponsa in Canticis, iii, 3, tametsi a custodijs civitatis pessime habita, multisque fuisset verberibus, aliisque injuriis affecta: *Invenerat me vigiles qui custodiunt civitatem, percusserunt me, et vulnera-*

verunt me, tulerunt pallium meum mihi; et tamen filiabus Jerusalem quas fortuite obviam habuit, dixit: *Adjuro vos, filie Jerusalem, si inveneritis dilectum, ut nuntiatis ei quia amore langueo*. Ubi notandum quod nullam prorsus verberum, vulnorum, aliarumque receptorum injuriarum mentionem fecerit. « Quid enim grave, non leviter tolerat qui amat? Quidquid enim diligitur, cum magna devotione portatur, » dicit S. Gregorius, in *Lib. I Reg.*, xli.

e. — Optimus certe modus querendi Deum amissum, ut qui eum perdiderit per culpam et malitiam suam, eum quaerat cum dolore et lacrymis. Qui dolor tamen, ut validus sit, non ex timore servili, sed ex amore Dei procedat oportet. Quo fine S. Augustinus sequens nobis tradit dogma: « Sunt quos peccasse ponit propter presentia supplicia. Displacent enim latroni peccata, quando operantur penam. Desiit vindicta, revertitur ad crimina. Ista est poenitentia non ex fide procedens, nec est charitate munita, sed sterilis et sine misericordia. Hæc non purgat conscientiam, nec lavat crimina, in hac nulla est spes veniæ, dicente Apostolo: *Quæ secundum Deum tristitia est poenitentiam in salutem operatur; sæculi autem tristitia mortem operatur.* » *II Cor.*, vii, 10.

## VERSUS 49.

Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

Et ait ad illos: quid est, quod me quærebatis?

1. — Salmeron, *tract.* XLVII, hanc loquendi asperitatem in eum dumtaxat finem directam fuisse existimat, ut affectum et amorem maternum non nihil reprimeret: « Ut temperaret affectum carnis, doceretque omnium parentum amorem divino postponendum; » ostenditque proinde non esse in Ecclesia Dei pestem perniciosiorem, quam fit amor parentum, utpote qui causa est omnium malorum.

2. — Haymo scribit, Christum illos his verbis non reprehendisse, quod eum quæsierint, sed potius illis usum fuisse tanquam quodam ad mentem ipsorum ad mysterium sublevandam motivo: « Cogit eos surgere ad intellectum ut intelligant, quia plus debet homo obedire vero Deo Patri, quam homini Matri. »

Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

3. — Quasi dicere voluisset: considerandum vobis erat, quod pariter eterni Patris mei Filius existam, ac proinde ut talis, ejus obedientiæ et servitio obstrictus sim. Porro Mater S. Josephum

Patrem nominaverat; at vero « Jesus respondens, » inquit Lucas Brugensis, « dat intelligendum, quod non illum, sed alium præstantiorem ac sublimiorem, Deum, inquam, agnoscat Patrem; opponit Patrem suum coelestem ipsis, et negotia illius « humanis omnibus, etiam parentum societati, « obedientiæ, consolationi. »

4. — S. Bonaventura, in *Luc.*, maguam, inter responsum, quam Christus hodie Virgini Matri suæ dedit et aliam, qua in trigesimo etatis anno eidem in nuptiis Chananæis respondit, differentiam observat: « in hoc autem, quod correptus humiliter se excusavit et invitatus a Matre ut miraculum faceret, respondit dure, dedit nobis exemplum et formam humilitatis, ut malimus corripimus, quam laudari. » S. Ambrosius nihilominus super duabus hisce factis B. V. diversimode a S. Bonaventura respondit: « Alibi enim ad mysterium Mater impellit, hic Mater arguit, adhuc, quæ humana sunt, exigit, sed cum hic duodecim describitur « anorum, illic discipulos habere doceatur, vides Matrem didicisse a Filio, ut non exigeret a validiore mysterium, quæ stupebat in juniore miraculum. »

## Additiones.

a. — Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Existimat S. Ambrosius prædicta Christa verba reprehensionis fuisse. Unde S. Bonaventura ait: « Dominus dure respondit, absque tamen ulla Matris irreverentia; quod enim Christus Dominus ore sereno atque benigno, aliquantulum ita se vere locutus est, non propter Genitricem, in ea enim nihil habens reprehensionis umbram dari poterat, sed propter circumstantes, ut omnes instrueret, quod in his quæ sui muneri erant, ad Patrisque obsequium et hominum salutem spectabant nullo carnis aut sanguinis affectu, sed puro tantum in Deum duceretur respectu. » Et ita, quoties suspicari poterat, carnis amorem interrumpere ea quæ ad Patris negotia, ut erat de divinis rebus tractatio, verbi Dei auscultatio, pertinebant, asperè respondit. Culpam enim illi merentur, atque puniri, qui a verbo Dei alieni sunt, illudque disturbant.

Incarnata Sapientia utilitatem de divino verbo sui dimanantem, nec non et damna, quæ in eos, qui illud contemnunt redundare solent, inculcare nobis volens, duas adducit similitudines, quarum prima est hæc: *Omnis qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui edificavit domum suam supra petram; et descendit pluvia et venerunt flumina, et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim, erat supra petram.* *Math.*, vii, 24, 25. Hoc autem nequam contingit illi qui prædicationem Evangelicam



aspernatur et negligit. De hoc enim subjungit: *Omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, similis erit viro stulto qui edificavit domum suam super arenam, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.*

Salvator noster nihil fert indignius, quam dum divinum verbum suum parvi fieri conspicit, cum tamen ipse in verbi sui ministros, non quoscumque elegerit, sed meliores, sed Ecclesiasticos, sed Deo consecratos. Majorem et accuratorem semper meretur reflexionem historia illa quæ legitur, *Matth.* xii, 28: *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce, Mater ejus et fratres stabant foris quærentes loqui illi.* Et vero si causam ex me interrogaveris, cur B. V. Maria, ad auditorium, cui Christus prædicabat, ingressa non fuerit, ego illud a B. Virgine eo fine omissem fuisse utique dicendum, ne scilicet vel minimum prædicationi Filii sui adferret turbationem, utpote quæ probissime intelligebat quanta cum attentione illa auscultari debeat. Nec tamen hunc finem est consecuta: subdit enim Evangelista: *Dixit autem quidam: Ecce Mater tua et fratres tui foris stant quærentes te.* At vero quid tibi persuades, o importune minister? Num forte quod Christus intermissurus sit divini verbi prædicationem, suosque auditores dimissurus? Nullum falleris profecto, nam ut Evangelista inquit: *At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est Mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea et fratres mei.* S. Hieronymus, de vera Circumcisione disserens, et hoc quod Mariæ et fratris circumcingit considerans, in hæc verba exclamat: *« O mysterium! Matrem Mariam sibi Dominus ab-jurat, cum extra verbi audientiam esset constituta, eo potissimum tempore, quo verbum prædicabatur a Verbo. »* Quod S. Hieronymi argumentum, nos in suam formam hunc in modum redigere possumus. Quod si Virgo Mater Dei, tanquam talis ab eo honorata et agnita non fuit, quando foris extra auditorium substitit, solummodo ne turbationem prædicationi conciliaret, quodnam formabimus iudicium de execratione qua Salvator detestatur illos qui divinum verbum suum, cum reclamatione animi audiunt, nec ullum inde fructum ferunt, sed vel rident illud vel turbant?

Quod si vir aliquis unicuique indifferenter, ex pulpito Ecclesiæ, margaritas, topasios, rubinos, adamantes, carbunculos, vel alias similes inestimabilis valoris gemmas effunderet atque dispergeret, omnes utique certatim accurrerent, ut inde se locupletarent. Jam vero de verbo Dei veridice scribitur: *Eloquia Domini desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum;* et tamen ad illud excipiendum, non solum non accurrimus, verum etiam illud execramur et nauseamus.

Quodnam putatis atrocissimum fuisse supplicium

inter ea quæ Deus populo Hebræorum intulit? Audiamus S. Ambrosium dicentem: *« Auferam, inquit Isaias, validam virtutem, prophetam et consiliarios. Et vere his abstulit virtutem a quibus Dei virtus recessit. Transit ad nos Dei verbum, et non in nobis tacet. »* Sed va nobis si nullum in nobis fructum parturiam.

**b.** — Profecto, si in cœlestis Patris sui negotiis versari puerum Jesum oportebat, ad quæ tractanda remanserat, occur in ea cura adhuc non persistit? Nec opinor, ea erat ejus Mater quæ a Patris Dei negotiis petraclandis cum arere vellet. S. Augustinus, *Serm. iii, de Resurr. Dom.*, subtiliter ad rem philosophatur: *« Quis jam, inquit, non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando eorum sapientia ipsa deseruit? Sic mutavit consilium suum, ut quod jam tunc coeperat, ex tunc usque ad trigessimum ætatis suæ annum prorsus dimiserit. Sed forte querendum ab ipso est quomodo voluntatem, consiliumque relinquit? O Domine, voluntas de qua dixisti, ut non fieret, si bona non erat, quomodo tua? Si bona erat, quare derelicta? Sic et consilium; si non bonum, quomodo tuum? Si bonum, quomodo derelinquendum? Et bona erant, et ejus erant, neque minus « lamina relinquenda: ob hoc videlicet ut fierent « meliora. Neque enim oportebat propriam præjudicium care communibus. » Itaque eorumque Patris negotiam, quod propria voluntate tractandum inchoaverat, statim relinquit: non quod bonum non esset, sed quia ad nostrum exemplum valde expediebat, quatenus ab illo ediceremus alieni esse a contestationibus, cedere aliis, et propriæ opinioni non adherere, ut ita pacem conservemus.*

Legitur in Proverbiis, *xx, 3: Honor est homini qui separat se a contentione.* Qui enim pacem et unionem, cum proximis diligens, pro illa conservanda aliorum importunitatibus libenter cesserit, hoc sum cedere et non contradicere, honorificum sibi futurum esse experietur. Sic enim se vera virtute, charitate, humilitate, mortificatione, prudentia, sapientia et discretionem præditum esse demonstrabit. Unde Apostolus ait: *Servum autem Domini non oportet litigare sed mansuetum esse ad omnes, patientem. II Tim., ii, 24.* Hoc autem servi Dei character est insignitum esse, de quo Apostolus tan opere gloriabatur, ingens honor est; nam et summus Pontifex hunc sibi gloriosum vendicat titulum, dum Apostolicis diplomatibus suis in hæc verba: *Servus servorum Dei,* suscribit.

#### VERSUS 50.

*Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.*

**1.** — Verum enim vero qua ratione fieri potest, ut Beata Virgo, quæ inter illa gloriosa epitheta

etiam hoc encomio honoratur, ut appelletur *sedes sapientiæ*, ut inquam, illa non caperet aut intelligeret ea, quæ dicebantur? Albertus Magnus, in *Luc.*, dicit: *« Intellexerunt esse verbum et sapientiam Patris, sed quod jam tunc in tali ætate ostensura erat, non intellexerunt. »* Didacus Stella dicit, quod propter amissum thesaurum reinventum, præ lætitiæ excessu stupefacti, mentem ad ea, quæ dicebantur, non applicarint: *« Tantum erat illis « gaudium de invento puero, ut nihil amplius cogitarent: lætitiæ absorpti, verba pueri non capiebant. »* Lucas Brugensis hanc ignorantiam perfectioni Virginis minime præjudicasse existimat: *« Perfecta enim tunc temporis erat charitate præcipue, scientia vero eatenus duntaxat, quod nihil eorum ignoraret, quæ eo tempore eam scire oportet; nondum enim aderat tempus, quo intellegere eam oporteret hoc Christi Verbum, quia « per multos consequentes annos, non erat Christus « obiturus amplius hujusmodi negotia. »*

#### Additio.

**a.** — *Et ipsi non intellexerunt verbum.* Alii intelligunt hæc verba de Doctoribus tibi presentibus, quod licet Christus ad summam eorum consolationem, tam clare loqueretur, tamen non intelligebant eum; quem si intellexissent, procul dubio mirum in modum spiritus eorum recreatus fuisset. Sed non mirum, quod non intellexerint, erant enim in malo obstinati. Deliciarum autem spiritualium manna Deus in animas depluit timoratas, innocentes, et perfectas, cujus minime participes efficiuntur perversi. Regius Propheta, *Psal. xxx, 20,* exclamat: *« Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! Sed quibus? Audite limitationem: Quam abscondisti timentibus te. »* Perfecti eos qui sperant « in te, ut timentes, te habeant, » inquit doctor Angelicus. B. Albertus Magnus dicit: *« Temporales « dulcedines omnibus sunt communes, bonis et « malis; sed istæ reservantur solis bonis. »* David animas fideles ad hilare, festivumque Deo exhibendum servitium invitat, dicens, *Psal. cxxx, 2: Servite Domino in lætitiâ; introite in conspectu ejus in exultatione, id est, ex S. Remigio: Consentiamus vestram, ubi ipse conspici, mundate.*

#### VERSUS 51.

*Et descendit cum eis et venit Nazareth, erat subditus illis et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.*

*Et descendit cum eis.*

**1.** — Lucas Brugensis in laudem obedientiæ ab hoc cœlesti juvene, parentibus suis exacte exhibite, advertit, quod « quamvis ad horam exemerit se a « parentibus, statim tamen reversus est ad solitam « subjectionem. » Notandum vero, S. Lucam

expressam dedisse operam, ut Jesum duodennem a parentibus reinventum subito ad pristinum obedientiæ jugum rediisse omnibus manifestum evaderet, « ne quis filium immorigerum, rebellem « deinde fuisse cogitaret parentibus, sine quorum « consilio et scitu domo se absentaret, quoties « luberet prælexit negotiorum Dei Patris, aut ut « Dei Patris ageret negotia, parentum dehinc obedientiam neglexisset. » Imo adeo fuit in obediendo exactus, ut idem scribat, quod « nunquam « seipsi subtraxerit, nisi consensu quo irat, et « quando rediret. « Congrua verba sunt: *Et descendit, »* inquit Interlinearis: « vere descendit, qui « humiliatur sub illis. » Hugo Cardinalis ait: « Congruè dictum est: *Descendit;* congruit enim et « quantum ad loci situm et quantum ad mysticum « intellectum; verbo enim descensionis exprimitur « modus humilioris. » S. Antonius Paduanus, *Ser. in hac Dom.*, per hoc exemplum nostram nobis exprobat superbiam, dicens: « Erubescas jam « infrenata superbia, concidat turgida arrogantia: « miser homo manibus et pedibus reptans ad « honores sui decoris gradum nititur ascendere; « bonus Jesus ad interrogationem piæ Matris « dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic?* usque ad « triginta annos negotium distulit, quod inceperat « duodennis, et de templo, in quo in medio Docto- « rum sedebat, descendit. » S. Bernardus diu ante similem quamdam considerationem in Sermone xix, super Cantica instituit, dicens: « Cum dixisset, in « his quæ Patris sui erant oportere se esse, non « acquiescentibus parentibus ejus, sequi eos in « Nazareth non desepit, magister discipulos, Deus « homines, verbum et sapientia fabrum et femi- « nam. » Richardus a S. Laurentio, lib. I, defixis in divinum hunc Filium Matrem in Nazareth consecrantem oculis, ita meditat: « In laude aliarum « virginum dicitur, *quod sequuntur Agnum, quocum- « que ierit.* Apocal., xiv, 4. De Virgine autem virgi- « num Maria potest secure dici, quod Agnus sequetur eam, quocumque ierit. » S. Bernardus, in *Hom. super missus est, ait: « In laudibus virginum « singulariter canitur: sequuntur Agnum quocumque « ierit;* quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ « etiam præiit?

**2.** — In lib. II, Paralipom., xv, scribitur: *Domini vobiscum, quia fuistis cum eo; si quisieritis cum, invenietis, si autem dereliqueritis eum, derelinquet eos.* Hæc verba ad propositum nostrum pariter S. Bonaventura utitur, dum ait: « Ecce utilitas « querendi Dominum; ad hoc enim querere debe- « mus, ut inventus nobiscum sit per gratiam et « non derelinquamus, sed ne nos derelinquat, « fortiter teneamus, » inquit Gregorius; « prius non « inventus queritur, ut post inventus strictius « teneatur; hoc significatur, ubi dicitur: *Descendit « cum illis et venit Nazareth.* »



## Et venit Nazareth.

3. — « Pulchra consequentia, » inquit Salmeron, *tr. XLVII*, « ut a Jerusalem descendamus in Nazareth, » hoc est, ab obedientia et cultu Dei, ad obedientiam « et obsequium parentum ac superiorum : ita enim « fiet ut quod est Dei, Deo et quod est hominis, « homini tribuatur. »

4. — S. Antonius Paduanus in hoc facto adimpletum esse censet illud Canticorum oraculum : *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatatum*, « id est, ad humilitatem, quæ est procreatrix virtutum cæterarum, Nazareth locus « humilis, interpretatur flos et significat humilitatem, quæ bene dicitur flos. »

## Et erat subditus.

5. — « Id est, quiete, modeste, » inquit Lucas Brugensis, « et amico eis conveniebat et obediebat « in omnibus, in quibus ingenui filii obedire atque « obsequi parentibus solent et debent, etiam quæ « ad rem familiarem spectarent : adjuvans illos in « negotiis exterioribus ad victum comparandum. » Ecce tibi ubinam supremus ille artifex commoretur et degat, qui unico verbo fecit mundum : *Dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt*; nimirum in fabri ejusdem lignarii officina laborat, ut victum sibi quotidianum comparat, non obstante quo ipse idem ille sit, de quo æterna veritas testimonium perhibet, dicens : *Aperis tu manum tuam et implet omne animal benedictione*. S. Basilus ait : « In prima « ætate Christus subditus parentibus, omnem laborem corporalem mansuete et obedienter susceperat, cum enim homines illi essent justi quidem ac pii, « verum pauperes et rebus necessariis non abundantes, merito laboribus corporis assiduus dediti « erant, propter hoc necessarias res sibi ipsis acquirere ; » nimirum exemplum nobis reliquit, quo victum nostrum sudoribus quotidianis lucrari monemur. Nam ut Beda ait : « Quid inter nos aliud, « quam quod a nobis agi vellet, ageret? » Imo idem Lucas Brugensis Christum hanc vitam ad trigesimum usque ætatis annum, quo se baptizari permisit, continuasse tradit : « Intellegendum est « autem, subditum fuisse Joseph et Mariæ, usque « ad annum velutis trigesimum. » Adeoque si curiose indagare velimus, quidnam Filius Dei a duodecimo usque in trigesimum ætatis annum hic in terra fecerit? S. Lucas, cujus calamus a Spiritu Sancto, qui Spiritus est veritatis, gubernatus semper fuit, aliud nihil dicit, quam duo hæc verba : *Erat subditus illis*, quasi dicere vellet, vera et solida quedam sanctitas consistit in eo quod ad imitationem ejus, majoribus nos subducimus, domi intentus sit, ac demum unusquisque pro victu suo quotidiano acquirendo in ea se arte exerceat, quam didicit, siquidem labores manuum tuarum quia manducabis,

*beatus es et bene tibi erit. Psal. cxxvii*, 2. Salmeron scribit : « Multi hoc desiderio sciendi, quid ab anno « undecimo usque ad trigesimum fecerit Christus, « discruciantur, quibus hoc verbo Lucas satisfacit : « *Et erat Jesus subditus illis*. Orabat, jejunaabat, « silebat, pauperibus parentibus collaborabat, ex « quo et fabri filius a turba vocitatur. »

6. — S. Ambrosius, lib. II, in *Luc.*, varia nobis motiva insinuat, quibus nos inducere nititur, ut parentibus nostris obsequiosi et obedientes simus : « Disce, » inquit, « quid parentibus tuo debeas : Tu « matri debes pudoris injuriam, virginittatis dispendium, partus periculum, longa fastidia, longa discrimina. » Demum vero ad genitores nostros descendens ; breviter ea, quæ in utilitatem nostram fecerint, considerat : « Quid anxios patres loquar? Pro filio- « rum profectu et multiplicatos alienis usibus census, « nonne pro iis obsequiosa saltem oportet rependi? » Jansenius considerat, quod tametsi divinus hic puer de se vere dixisset : *In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse*, hoc tamen omnia reliquerit et seposuerit, ut nihil et voluntati ipsorum promplissime obediret : « Quis prius ostenderit suo exemplo, in « quibus negotiis parentum potestati non subsumis, « rursus ostendit, quanta parentibus carnalibus de- « tur reverentia et subjectio. » Ponderandum est autem, quod Evangelista protinus subjungat : *Jesus autem proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines*. Siquidem bonæ educationis effectus est humilis majoribus exhibita subjectio, profectus in virtutibus, nec non gratiæ et benevolentie apud Deum et homines conciliatio.

## Illis.

7. — S. Antonius de Padua dicit : « Quibus illis? « Fabro et pauperule virginis; colli Creator subditur « tur fabro, Deus æternæ gloriæ subditur virginis « pauperule; non ergo dignetur obedire philo- « sophus piscatori, sapiens simplici, litteratus idiote, « filius Principis ignobili. » Ab hoc exemplo Origenes, *Hom. xx, in Luc.*, deducit, nequaquam nos dedignari debere obedientiam exhibere nostris genitoribus, et aliis vice illorum, qui nimirum superiorum inter nos locum et gradum obtinent! « Si « Jesus Filius Dei subditur Joseph et Mariæ, ergo « non subdicar Episcopo, qui mihi a Deo ordinatus est Pater; non subdicar presbytero, qui mihi « Domini dignatione prepositus est? » Considera, quantum Christus Josepho præcellat, et ejus ex altera parte perpende humilitatem et subjectio- nem : « Sciens majorem esse subjectum, trepidum « moderabatur imperium. Videat ergo unusquis- « que, quod melioribus sæpe prepositus sit inferior, et nonnunquam accidit, quod ille qui « subjectus est, melior sit eo qui sibi videtur esse « prepositus, quod cum intellixit dignitate subli- « mior, non elevabitur superbia ex eo quod major

« est, sed sciet, ita sibi meliorem esse subjectum, « quo et Jesus subjectus fuit Joseph. »

8. — S. Bernardus, circa idem verbum *illis* similem quandam ponderationem instituit, *Hom. super missus* est, dum ait : « Quis quibus? Deus, hominibus. « Deus, inquam, qui Angeli subjecti sunt, cui principatus et potestates obediunt, subditus est Mariæ. « Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. Erubescere superbe cinis. Deus se « humiliat, et tu te exaltas; Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus tuo te « præponis Auctori? » Ingeniosus fuit ille S. Ildephoni devotissimi Mariæ clientis conceptus, *Liv. de Virg.*, dicens : « In illo spiritu humilis excelsa « loquar de Jesu, in quo, o Domina, confiteris esse locum ancillam Domini? Tam vere timeam hunc Jesum, « quam vere idem cum esset Deus, erat subditus « tibi parenti. » Beatissima Virgo ut S. Bernardus ait : « Humilitate concepit, » id est, quando dixit : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; quid mirum igitur, quod ex quo humilitatis in hoc partu tantam partem obtinuit, de illo quoque dicitur *et erat subditus illi*? Ipsa se ancillam ejus esse protestata fuit; ipse vero, quoadusque vixit, servum se illi subjectissimum et obedientissimum exhibuit, nimirum se a Matre sua in hac humilitatis virtute vinci aut superari permittere noluit.

9. — Valde considerabilia sunt illa S. Bernardi verba, quibus in sermone quodam, *in die Paschæ*, ita dicit : « Attende quid fecerit magni consilii Angelus, « quomodo consilium suum postposuit consilio vel « potius voluntati mulieris unius (beatissimam Virginem loquor) et fabri pauperis, ipse est Joseph. « Bonum erat illud consilium : *In his quæ Patris mei « sunt, oportet me esse*, sed quia illi non intelligunt, « mutavit consilium, ut nos mundaret ab ea lepra, « quæ proprii consilii est. Quis non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando sum sapientia « ipsa deseruit? » Porro inter tria religiosorum vota, obedientia virtus est magis ardua, quia per paupertatem bona terrena despiciunt, per castitatem sensus corporis suppressimus, subjiciendo eosdem rectæ rationi; at vero per obedientiam, propriam voluntatem subjicimus, quæ quid longe amplius est, quia libertas est arbitrii et rationalis. Simon de Cassia oculum considerationis suæ in Jesum Mariæ et Josephi subjectum deflebens, in singulare beatissimam Virginis præconium dicit : « Christus duobus virginibus « factus est subditus, ut noverint hoc sacramentum « homines, quod illorum Christus complet vota, « desideria perficit, qui se puritatis et munditiæ « tradiderunt. »

*Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.*

10. — Hugo Cardinalis ait : « Id est, in area memoriæ reponerat omnia, non solum verba, sed

« etiam facta, verbum enim interdum ponitur pro « re. » Ubi notandum est *omnia*, neque enim permittendum est, ut ex copiosa illa Verbi Dei mensa, vel unica etiam mica inutiliter cadat : *Iota unum aut unicus apæca non præteribit*, nonnunquam vel in unico duntaxat verbo, salus nostra reposita erit. Pulchra est illa Euthymii observatio dicentis : « Tanquam verba non simpliciter pueri, sed etiam Filii « Dei, conservabat omnia examinans apud se. » Verbum Dei in semetipso et in origine sua attendendum est, non vero censurandum aut examinandum vel illud annuntiat. *Qui vos audit me audit*. In corde custodiendum est, quia ut monet Ecclesiasticus, *xxi, 17 : Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit*. Beda, cujus testimonium Lucas Brugensis adducit, de Maria ait : « Sive quæ intellexit, sive quæ necdum intelligere potuit, omnia « suo pariter in corde quasi ruminanda et diligentius « scrutanda, recondebant. »

## Additiones.

a. — *Et descendit cum eis et venit Nazareth; et erat subditus illis*. Mirabile prorsus obedientiæ exemplum, quam quidem principaliter hic parentibus terrenis exhibuisse Christus dicitur; sed primario Patri suo celesti exhibuit, ut utrobique equus adimplens præceptum. « Tunc autem, » inquit D. Ambrosius, « cum iste Pater divinus non habuerit laborem nec « curam aliquam penalem circa illum, quid tibi « faciendum, fili christiane, Patri tuo celesti, a quo « non tantum habes naturam, sed qui etiam multas « curas et penas pro te passus est, amore cum « excessivo continuo stimulante, qui amor Redemptoris erga nos tantus fuit, ut quanto nos illum « indignius tractavimus, tanto ille erga nos magis « beneficus extiterit. » Quod utique per varios Christi Passionis eventus ostenditur; quæ proinde beneficia a nobis omnem amorem nostrum efflagitant.

b. — Christus Dominus, non uno altero anno, sed per longum tempus, ad annum usque trigesimum, parentibus suis subditus fuit, ad hoc ut relinquere nobis exemplum obediendi parentibus nostris. Cujus obedientiæ magna utilitas est obligatio.

Major equidem, in præcipienda illis erga parentes obedientia et reverentia, non poterat cura et sollicitudo vigere Dei nostri, siquidem Moysi duas consignans tabulas lapideas, Dealogum continentes; in secunda, postquam in prima leges insinasset cultus divini, digito proprio, tanquam præceptum, primum, inscribere, atque inculpare non dubitavit decretum honoris et subjectionis debite parentibus. De eodem loquens præcepto B. Paulus, ad *Ephes.*, *vi, 3*, dicit : *Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione*; id est, cum additur mercedis promissio : *Ut bene sit tibi, et sis longævus super terram*.



Efficax equidem parentes honorandi et amandi motivum in medium adducit S. Bernardinus Senensis dum dicit in quodam sermone : « Prima obligatio, quod filii parentes tenentur diligere exemplum Christi, qui de se ait : *Ut cognoscat mundus, quia diligo patrem.* » S. Ambrosius illa interpretatione Evangelii verba : *Honora patrem tuum et matrem tuam*, hoc efficaciter subinfert argumentum. « Honora quia suos Dei Filius honoravit. Legisti enim : *Et erat subditus illis.* Si Deus servillis, quemadmodum tu parentibus! » *Erat subditus illis.* « Quibus illis? » interrogat S. Antoninus de Pad. : Fabro et pauperulae virgini. Cœli Creator subditur fabro; Deus æternæ gloriæ subditur virgini pauperulae. Maximum equidem mysterium continet Evangelistarum de Christo silentium dum per octodecim annos nihil de eo commemorant præterquam solus Lucas prædicta verba : *Et erat subditus illis*; quasi inferre voluisset, quemadmodum immediate subjungit in hæc verba : *Et Jesus proficiebat sapientia et ætate et gratia apud Deum et homines*, quod solida, veraque virtus, sapientia et sanctitas, in reverenti et subiecta, nec non in recta erga genitores vita, atque educatione consistat.

Observandum est quod Pater æternus, Christum pro Filio suo dilecto ante non manifestavit, nisi post preslitam triginta annis, S. Josepho patri, et Virgini matri subjectionem et obedientiam : *Et ecce vox de celo dicens : Ille est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth., m, 17. Omnibus in operationibus solus se Patris gloriam spectare protelatus est Salvator, et quæ Patri placita erant semper faciebat.

e. — *Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Non enim ut puero, neque ut viro sed ut Deo vacabat, et illius voces divinas et opera reputabat; idcirco nil ex dictis aut actis ab eo incassum cadebat, « sed sicut ipsum verbum prius in visceribus, ita nunc ejusdem sermones, ac mores, « omnesque institutiones concepiebat, et in corde suo, quodam modo fovebat, » ait Geometra, in Catena Græca. Beata Deipara verbum divinum suis visceribus concepit et utero et gremio fovit : sic quodammodo ejusdem corporati Verbi sermones, doctrinam, actiones et mores animo concepiebat, actione sua fovebat, et egregia operatrix, audita et visu in corde suo concepiebat, atque opere ipso feliciter parturiebat, et inde sibi totique mundo omne bonum invenit. Verbum enim Dei, non solum in corde custodiendum, sed et executioni mandandum est, si inde aliquam utilitatem haurire volumus. Desideras esse spiritualis mater Christi, et Christum exemplo Virginis concipere? In silentio te conserva, et linguam tuam refræna.

d. — *Maria conservabat omnia verba hæc in corde suo*, nimirum ut successu temporis, per omnia que docturus et acturus erat Christus, plenus ea intelli-

geret; simul ut ea deinde S. Lucae et aliis Apostolis scribenda, vel posteris tradenda revelaret. Unde Apostolorum Magister communiter indigitatur. Imo Beda existimat, quod Beatissima Virgo ita in mente conservabat omnia hæc, que fiebant, ut cum illis, quæ per Prophetas scripta erant ea conferret : nec sine ingenti fructu, ut advertit Carthusianus dicens : « Verba et facta Filii sui in corde tanquam optima et docilissima sapientiæ æternæ discipula, saporis « capacissima, et avidissima, quidquid Filii ejus « de cætero fecit aut dixit, cum summa veneratione « pensavit, ac inde eminenter profecit, » vivum se præbens exemplum eorum auditorum, qui si volunt, ut verbum Dei in ipsis fructificet, necessum est ut illud in corde suo cum Maria ruminent.

#### VERSUS 52.

*Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.*

#### *Et Jesus proficiebat sapientia.*

1. — S. Bernardus dubium quoddam, quod circa hæc verba moveri poterat, hisce verbis, *Hom. super missus est*, resolvit : « A principio perfectus, a principio plenus fuit spiritu sapientiæ et intellectus, « spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiæ et pietatis : nec te moveat, quod de illo legis in alio « loco : *Jesus autem proficiebat, etc.*, nam quod « de sapientia et gratia hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat « intelligendum est. » Hugo Cardinalis ex doctrina S. Gregorii eandem distinctionem advertit, dicens : « Non per accessum temporis, quod non habebat accipiendū, sed dona gratiæ, que habebat, et cæteris pandendo, ad Dei laudem et hominum utilitatem, et ideo proficiebat apud Deum et homines : Deo ad honorem Dei, hominibus ad utilitatem illorum. »

2. — Lyranus Christum hanc sapientiam secundum congruentiam et opportunitatem demonstrasse observat dum ait : « Hanc perfectionem non ostendebat, « nisi prout convenientia temporis exigebat, secundum illud Ecclesiastes, vii : *Tempus et responsio- « nem cor sapientis intelligit, omni negotio tempus est « et opportunitas.* Et in hoc literatis et sapientibus « dedit exemplum, ut non ostendant sapientiam « suam, nisi secundum loci et temporis opportunitatem. »

#### *Ætate, et gratia apud Deum et homines.*

3. — Lucas Brugensis ait : « Pro ætate alii verunt statura; ætas corporis est, sapientia et gratia « sunt animi, cujus sapientia quidem intellectum, « gratia autem affectum perficit, non per incrementa « ætatis evasit aut sanctorum aut melior, sed perfectioribus gratiæ sanctitatisque operibus incubuit. »

4. — Nascitur hoc loco dubium, quomodo S. Lucas vere asserere potuerit, Christum ab hominibus amatum fuisse, cum a Judaismo atrociter et incessanter persecutionibus impellitus fuerit? Respondetur igitur : Evangelistam de annis præcedentibus ad trigentesimum usque intelligendum esse, priusquam scilicet predicationi insisteret, et miracula patrasset. Ex quo autem vitia reprehendere, aliorumque passiones inordinatas et scandala manifestare cepit, perversorum erga seipsum odio concitavit, sicut et miracula et comitatus discipulorum magnam ipsi concitavit invidiam. Cæterum quamdiu privatam vitam egit, teste Gersono, fama illa per Nazareth, et totam Judæam universim divulgabatur, quod qui consolationis indigus esset, ad Josephi et Mariæ Filium sese recipere : « Eamus ad Filium Joseph et Mariæ, et « consolabitur nos. » Idem quoque Lucas Brugensis respondet, dum ait : « Loquitur de privata Jesu « vita, in domo parentum. » Etenim hæc vita quieta est et contemplationi aptissima et saluti obtinendæ facilis et commoda. Unde S. Arsenius de modo, quo se de anime salute assecurare posset, deliberans, hanc vocem audivit : *Fuge, late, tace.*

5. — Theophylactus observat quod Evangelista prius dicat *apud Deum*, et postea subjungat de hominibus mentionem : « Primo apud Deum, et « postea apud homines, quia prius debet placere « Deo, et postea hominibus. » Jansenius ait : « Simile scribitur, I Reg., ii, 26, de Samuele : *Puer « autem Samuel proficiebat atque crescebat, et placebat tam Deo quam hominibus.* » De Moyse quoque *Ecdl.*, xlv, 1, dicit : *Dilectus Deo et hominibus Moyses, cujus memoria in benedictione est.* Guericus Abbas hanc prerogativam in hac vita scilicet præsentis, placendi simul Deo et hominibus optime his verbis ponderat : « Paucis expressit Scriptura « bonum ac beatum virum, paucis comprehendit « summam perfectionis plenitudinem, gratiæ et virtutis, quid enim deesse potest ad æternam « felicitatem illi, qui a Deo diligitur? ad presentem consolationem illi qui ab hominibus postea « amatur? »

#### Additio.

a. — *Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate apud Deum et apud homines.* Valde sندات SS. PP. ac interpretum solers industria, ut exponat, quo pacto Christus Deus, etsi proficere potuerit tunc statura, proceritate atque ætate, quin et sapientia et gratia apud homines, in dies, majora sapientiæ et gratiæ documenta exhibens; proficere tamen potuerit apud Deum, cum nullum sapientiæ et gratiæ incrementum accepit; in ipso siquidem Incarnationis exordio Deus erat, et omnigena sapientia et gratia, quam Deum hominem decebat, instructus fuit. Num per ætatis gradus, proficiebat Christus in divinitate? An gratia et sapientia increata, an creata? Minime quidem; nam summa augmenta

non capiunt, super profectum. Quis est igitur, arcanus iste apud Deum et homines profectum, quem sic Evangelista magnifice deprædical? Sapienter inibi Beda dicit : « El bene, cum dictum esset, quia « Jesus proficiebat sapientia, ætate et gratia, ad- « junctum est, *apud Deum et homines.* Quia quantum « proficiente atri, hominibus, et sapientiæ et gratiæ que sibi inerat, dona patefiebant, tantum « eos ad laudem Dei Patris semper excitare parabat, peragens ipse, quod cæteris peragendum « præcepit : *Lucent lux vestra coram hominibus, ut « videant opera vestra bona, et glorificent Patrem « vestrum qui in calis est.* » Attentius excipe, que subdit verba : « Atque adeo, non solum apud homines, gratia et sapientia proficere dicitur, in quantum ipsi ejus sapientiam, gratiamque potere « cognoscere; sed etiam *apud Deum*, in quantum « ad ejus laudem gloriamque, sapientiam ac gratiam quam in eo cognoverunt, retulerunt. » Vide arcanam vim sapientiæ et gratiæ, pueri etiam Jesu, qui gratia apud Deum proficere dicitur, cum per eum homines ad Dei gloriam proficiunt. Ut igitur amplius proficiat Jesus, Christianus semper in virtutibus progredi semper et proficere, nequaquam vero in eo virtutum statu, in quo nunc est, contentus vivere debet.

S. Augustinus, super *Psal.* LIX, ita scribit : « Quantumcumque hic vixerimus, quantumcumque « hic profecerimus, nemo dicat : sufficit mihi, justus sum. Qui ita dixerit, remansit in via, non « novit pervenire. Ubi dixerit : sufficit mihi hæsit. « Attende Apostolum, cui non sufficit. Vide quomodo se vult adjuvare donec perveniat. *Frates,* « inquit, *ego me non arbitror comprehensisse.* Quibus « rursus dicit : Qui se putat aliquid scire, necdum « scit quemadmodum oporteat eum scire. » Et paulo post scribit : « Ille currit, tu hæsit? » S. Apostolus sæpius in celum fuerat raptus, raptus in paradysum, particeps factus fuerat arcanorum celestium, *audivit arcana verba*, jam de seipso dixerat : *Cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Et tamen semper et quotidie in perfectione ulterius proficere satagebat, minime contentus sublimi illo loco, in quo, de facto constitutus erat. Unde ait, ad *Philip.*, ii, 14 : *Frates, ego me non arbitror comprehensisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Unde S. Augustinus hunc in modum argumentatur : « Ille dicit nondum « se perfectum, et tu de perfectione gloriaris? » Axioma est tritum, atque ab omnibus scholis spiritualibus receptum : « Nolle proficere, deficere « est. » Si quis in medio cursu sistere, eundemque non cum cepta in principio velocitate prosequi vellet, is utique *bravium nunquam acciperet.*